

40 55
IN NOMINE S. S. TRINITATIS
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE
M U N D O,

QUAM
DIVINA FAVENTE GRATIA

Cum consensu & approbatione Veneranda & Amplissima Facultatis Philosophicæ in inelyta Regia Academia Aboënsi

SUB PRÆSIDIO & DIRECTIONE
VIRI *Praclarissimi & Excellentissimi,*

DN. M. JACOBI FLACH-
SENII, in dicta Academia Me-

raphysices & Logices Professoris Publici & Ordinarij celeberrimi, Regiæ ejusdem hoc tempore Universitatis Rectoris Magnifici, Promotoris, fautoris & Præceptoris sui æternum colendi:

Pro Magisterij Philosophici Gradus & Privilegiis consequendis, modestè publico eruditorum defert Examini

ISRAEL H. DYNÆSIUS

Angerm. S.^æ R.^æ M.^{tis} Alumnus.

Ad diem 13. Junij, Anni à nato Salvatore 1674. In Auditorio Superiori & maximo, horis ab octavâ antemeridianâ,

ABOÆ,

Excusa à PETRO HANSONIO.

Reverendo Admodum & Amplissimo
Domino,

DN. M. PETRO STEUCHIO, per Angermanniam, Bothniam Occidentalem, Medelpadiam, Jemptiam, Herrdaliam & Lappmarkias Superintendenti eminentissimo, Consistorij Hernosandensis Præsidi gravissimo, Civitatis Hernosandensis & Ecclesiarum adjacentium, quæ in paræcijs, *Såbrå/ Stigsbô & Häggdånger* colliguntur, Pastori attentissimo, Regij Gymnasij Hernosandensis & Scholarum ejusdem Diæceseos Ephoro accuratissimo, Mecænati & Patrono magno & fautori suo benignissimo; omni observantiæ & honoris cultu æternum de venerando.

UT ET

Plurimum Reverendis & Clarissimis VIRIS

DN. M. PETRO NENZELIO, in Regio Gymnasio Hernosandensi S. S. Theologiæ Lectori primario ejusdemq; Consistorij Assessori dexterrimo, promotori & fautori suo jugi honoris cultu prosequendo.

DN. M. MATTHIÆ STEUCHIO, in prædicto Gymnasio S. S. Theologiæ Lectori secundo celeberrimo, nec non Consistorij ibidem Assessori solertissimo, fautori & promotori suo certissimo, quovis honoris genere colendo.

DN. M. GEORGIO ELINGIO, prænominati Gymnasij, Matheseos Lectori celeberrimo, ejusdemq; Consistorij Assessori attentissimo, Evergetæ certissimo, calido pietatis zelo suspiciendo.

DN. M. JACOBO EURENIO, Gymnasij Hernosandensis Historiarum & Poëseos Lectori per celebri promotori & fautori suo indubitatissimo, sincero affectu jugiter colendo.

DN. HAQUINO M. BOHLIN, in Gymnasio Hernosandensi Græcæ linguæ Lectori accuratissimo nec non Consistorij ibidem Assessori meritissimo, Promotori & fautori suo perpetim honorado.

Ceterisq; venerandi Consistorij & Gymnasij Regij Consistorialibus & Lectoribus meritis, ejusdemq; Scholæ Rectori & Con-Rectori fidelissimis. Isti Mecænati, his v. promotoribus & fautoribus certissimis, dissertationem hanc, in debita gratitudinis & devoti animi resseram, nec non certa promotionis spem, submisisse & officiosè dedicat & offert.

ISRAEL H. DYNÆSIUS
AUTHOR & RESPONDENS

Antiquum literarum militiam palæstris morem fuisse novimus, Reverendissime Domine Episcopo, plurimum Reverendi & Clarissimi Dn. Lectores, velle benevolentiam & favorem illorum, qui in magno dignitatis gradu sunt constituti, aucupari. Quare rationem non putavi diu querendam, quâ commotus Disputationem hanc vobis inscribere voluerim; ne officij debiti memoria à me neglecta videretur, aliquod gratitudinis monumentum, tanquam apertum animi indicium, dudum vobis statuendum meritorum vestrorum magnitudo postulavit. Quippe cum bene mihi perspectum habeam, omnes literarum Studiosos in Diœcesi, Cui Reverendissimus Dn. Episcopus summam æquitate præfignatos, singularem Reverendissimi in Christo Patris, benevolentiam, promotionem & favorem expertos fuisse; quare & ego quin Reverendissimi Domini Episcopi promotionis & favoris particeps reddar nullus sum dubitans: Et vobis Clarissimi Domini Lectores sanè magnoperè me devinctum agnosco, cum vestra quondam informatione, per optima bonarum artium initia ita mentem meam instruxeritis, ut doctrinam mihi jam tunc injectam esse, ingenuè fatear. Sed & benevoli vestri affectus tot exitère indicia: ut ignorem an enumeraturo mihi non aliqua ipsarum rerum multitudo esset subductura. Quare cum hæc præsens mea fortuna, nullam aliam vobis referre gratiam potis est, devoti animi cultum scripto hoc, conspicuum reddere, ab officij mei partibus non judicavi alienum, a quo itaque animo Reverendissime Dn. Episcopo, vosq; viri Reverendi accipite, & sereno vultu intuemini hoc quod vobis humilimo affectu dedico, atq; me de meliori notâ Commendatum vobis habete; quod unice exopto.

*Reverendiss. Dn. Episcopo & Vestr.
Rev. iij. & Cl. bus addictissimus*

ISRAEL H. DYNÆSIUS

PROEMIUM.

Quemadmodum hortum omni suo ambitu florentem varioq; genere florum exornatum, luminibus non somnolentis qui intuetur, ardenti animo eundem ingrederetur, obstaculo omni remoto, quo alias facilimè prohiberetur ab hujus ameno introitu: hoc autem, dum obtinet insigni animi voluptate à germinibus ejus fragrantia eum incitari & ex illis aliquid sibi indelectamentum arripere comperimus. Ita Philosophiæ floriferum qui ingreditur hortum, cunctos repente sensus, in ejus suaves rosas diffundat necessum est: Longe enim hic excellentior ac tutior illo est, cum, ipsum animū reficiat, tum destructis ceteris omnibus rebus externis ac vagis, nobis remaneat ac vigeat. Siquidem ex hoc, grata nobis medicamina proveniunt, ad duplicem propellendum morbum quo laboramus, nempe veri ignorantiam & appetitus à ratione quod ipsa ratio distitit, experientiaq; comprobat. Sed quid doleamus? en præsto est animi exoptata illa medicina Philosophia Cic. 3. Tusc. gratis sese nobis offerens, quæq; morbo illi utrig, medetur, per lumen nature quoad fieri potest. Veritatis enim Luce, errorum tenebras dissipat pars ejus Theoretica, que in contemplatione veri occupatur; vitiorum expultrix salutatur Practi-

ca, quæ in actione Boni consistit. Cum itaq; Philosophia tales ab homine ferrugines delet, ac perfectionem restituat, quis omni conatu, in ea sudare detreter, quæ licet primo intuitu salebrosa ac spinosa sat conspiciatur, in progressu tamen, magis magisq; plana, dulcis & conspicua redditur. Quare multi diutius in ea sudantes, dotib; animi & corporis benè politi ad quævis munia in vita communi sustinenda, redditi sunt aptiores. Unde Aristoteles l. 2. Top. Melius est Philosophari, quam ditari. Ergò cum mihi tandem, ad voluntatem eorum, quorum interest, res meas curare, nec non ad veneranda & Amplissima in Regia Aboënsi Academia, facultatis philosophicæ permissionem & approbationem, Specimen aliquod, loco examinis publici, pro consequendis in dicta facultate summis honoribus, publica disputatione edendum esset, ex hoc amenissimo Philosophia viridario depromere volui hanc non minus arduam, quam præstantem materiam de Mundo, ingenium qualescunq; liberaliter ut exercerem, non quod putarem difficultates in ea omnes me vel emetiri vel prorsus superare posse: Sed ut quemvis in me disputatore defectum, compensaret materia nunquam satis commendata nobilitas. Deum itaq; omnipotentem seriis invoco gemitibus, ut, qui mundum eleganti facie creavit, creatum & intuitui

ritui obnoxium verbo manifestavit, doceat nos rectè de mundo sentire & Loqui, caute pieq; in eodem vivere, atq; illinc tandem feliciter exire: quod exaudiat DEUS in seculum sine ulla intermissione laudandus: Sit itaq;

Momentum Primum.

§. 1.

Multis titulis encomiisq; multis Aspectabile hoc Dei opificium, quod Græcis κόσμος, latinis mundus dicitur, profèqui, est Soli (uti habet commune proverbium) jubar addere; imò cum Diogene illo Cynico, lucernam in meridie, adhibere; nobilem propterea, & quolibet ingenio liberali dignam materiam ex singulari instituto, subincudem disputationis revocare, ejusq; brevissimas delineationes publicè discutiendas exhibere animus est. Ut autem aditum mihi patefaciam; Definitionem Nominalem & Realem diligenter in frontispicio exponere & declarare animus est. Illa vocis Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam; hæc Definitionem ipsam complectitur.

§. 2. Etymologiam sive nominis veram & genuinam expositionem quod concernit, nemini non constat, latinis à munditie & elegantia, Mundum nomen sortitum esse;

A 2

esse; quo sensu Græci eundem κόσμον ab ornatu denominant; cùm, quia omnium rerum in illo contentarum dispositio conspicitur ornatissima & ordinatissima; tùm propter cæli & Sublunarium corporum pulchram faciem & admirabilem coordinationem & stupendam pulchritudinem: undè Plinius: hist. nat. l. 2. cap. 4. *Etenim & consensu gentium, inquit, moveor, nam quem κόσμον græci, nomine ornamenti appellarunt, cum nos à perfecta absolutaq; elegantia, mundum; ut rectè etiam à Poëta in duobus hisce versiculis indigitatur.*

*Non alio mundus debebat nomine dici,
Nomen ab ornatu convenienter habet.*

Quo etiam illud Boëtij l. 3. de consol. Phil. Spectat.

*Tunc cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcher-
rimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; ab ima-
gine formas,
Perfectasq; jubes, perfectum absolvere
partes.*

§. 3. Etymologiæ consideratione sic absolutâ, cum vox sit ambiguae significationis, tollenda venit errorum fecunda mater Homonymia sive ambiguitas vocis ne in castigatâ genitrice incertitudinis, nobilis hæc nostra

nostra materia efficiatur nodosa clavisq; plena, quæ nos ex via deinceps veritatis, in errorum & hallucinationis desertum vagabundos deturbet. Notandum vocabulum Mundi, tam apud Theologos quam apud Philosophos varias habere significationes, sed nos, omissis Theologorum significatis, tanquam ad præsens forum non spectantibus, tantum Philosophicas, paucis sectabimur.

§. 4. Apud Philosophos variè vox mundi accipitur, scilicet

1. Pro Angelis, qui mundus dicitur Angelicus, quem Angelorum multitudo constituit.

2. Pro omnibus rebus conditis cùm visibilibus tùm invisibilibus, Spiritualibus & corporeis, tam extra quàm intra mundum corporeum existentibus, adeò ut Angeli & Dæmones mundi ambitu dicantur contineri.

3. In Significatione iusto Strictiori id què quadrifariam.

1. Pro cælo tantum seu aliqua mundi parte, quo sensu Mundus æthereus dicitur.

2. Pro cælo & Elementis simul, quæ ratione Aristoteles Mundum Elementum appellat.

3. Pro Elementis tantum & corporibus corruptibilibus quæ in iis continentur & dicitur Mandus inferior, nonnullis etiam Ele-

mentaris, iis videlicet qui dividunt Mundum in Æthereum & Elementarem.

4. Pro solo homine tam pio quam impio: quo sensu audit ille *μικρόκοσμος*, parvus mundus, quia modo aliquo includit omnia quæ in natura reperiuntur.

5. Propriè sumitur pro universo & aggregato, omnes res naturales continente, quo in significatu à nobis, hic loci, accipitur.

§. 5. Cognitâ vocis Homonymiâ, consequens est postremò Synonymiam Spectare: Mundus à nonnullis dicitur *τὸ πᾶν* & *τὸ ὅλον*, quod latine est universum vel rerum universalitas, naturalium sc. & corporearum: non universitate absolutâ quasi sit *τὸ πᾶν ἀπλῶς*, includens Deum & Angelos & beatorum hominum animas. Deus enim est infra supraq; omnia, nusquam inclusus, nusquam exclusus. Angeli item cum nullo modo respectum habeant ad corpus naturale, ad id reduci nequeunt. Sed universitate quodammodo restrictâ & limitatâ. Complectitur enim universa corpora naturalia, eorumq; est receptaculum capacissimum, ita ut nullum planè corpus, aut numerari aut cogitari possit, quin mundi terminis non contineatur.

§. 6. Per plurimas quidem alias quibus insigniri solet, voces apud Authores videre est: apud Aristotelem ob summam perfecti-

fectionem absolutè dicitur *perfectum*. Aliis ob figuram Sphæricam *orbis*; aliis ob omnium corporum concinnam constructionem *Machina*; Ciceroni *communis domus, urbs & civitas*; animal magnum Platoni; Basilio *Schola cognoscendi DEUM &c.* Verum cum hæc Epitheta partim non æquè ac vox Mundus, sint definito convenientia, partim non ita apud Philosophos usitata; partim Metaphorica & encomiastica; ea Silentio involvere consultum existimo.

Momentum Secundum.

§. 1. Absolutis & ponderatis iis, quæ ad vocem spectant, ad ipsam Definitionem Realem nobis progrediendum erit. Et cum notum sit Definitiones varias ab Authoribus circumferri & adduci, aded ut vix unius Authoris Mundi Definitio cum Definitione alterius quoad verba congruat, etsi re ipsa & quoad sensum interdum conspirent; inter quas tamen (multis aliis omissis) potiores sunt sequentes. Arist. I. de Mundo cap. 2. duas adfert Definitiones, quæ latine sic sonant. 1. *Mundus est compages, ex celo & terra, ac illis, quæ in iis continentur naturis.* 2. *Mundus dicitur ordo & digestio universorum, à Deo & propter Deum conservata.* Has duas Aristotelis Definitiones in unam non inconvenientè, videre est, acutissimum natura

turæ Scrutatorem Sennertum conjunxisse pag. 142. *Mundus est ordinata Series corporum naturalium, quæ à Deo est, & per Deum conservatur.* Sperlingius verò talem adfert Definitionem. *Mundus est compages ordinata, ex omnibus corporibus naturalibus coagmentata, à Deo propter Deum facta.*

§. 2. Nos verò omnibus istis suæ æstimationi relictis, sequentem hanc Wendelini Definitionem tanquam perfectiorem defendere conabimur. *Mundus est Systema cæli, Elementorum & omnium corporum naturalium à Deo creatore pulcherrimè ordinatum, propter Deum & hominem ex nihilo in tempore creatum.* Hæc enim continet in se non tantum causas mundi internas, videlicet, *formam*, quæ loco generis ponitur & dicitur Systema, & *materiam* mundi tam constituendi quàm constituti (de qua infra) quæ differentiæ loco infertur; Sed etiam causas externas videlicet *efficientem*, & *duplicem* Mundi *finem*.

§. 3. Ex genere hujus Definitionis liquet, dum Mundus dicitur Systema, Mundum esse ens aliquod collectivum vel per aggregationem & ens per Accidens, quod exactam aliquam Definitionem non solet admittere. Proinde etiam Mundus non potest aliter describi, quam per partes quibus constituitur, ut præclare & egregie in collegio Log.

pag.

pag. 87. §. 4. docet in Reg. Acad. hæc Aboënsi Metaph. & Log. Prof. præclarissimus M. *Jacobus Flachsenius* nunc meus Præses; ubi mentionem facit entium collectivorum. Undè statim colligere licet, hanc datam mundi Definitionem, omnibus numeris & momentis ita absolutam & perfectam non esse, ut mundi plenè exhauriat essentiam. Potest tamen nihilominus nostra hæc Definitio excusari ex dicto illo Ludovici vivis, quod alicubi profert: *Exactissimas Definitiones nonnunquam minus docere, quam minus exactiores, quare sunt & ad sensum accommodatiores.*

§. 4. Definitionis nostræ differentia desumpta est ex quatuor causis; *Efficiente*, quæ solus Deus Trinunus. *Materia*, quæ est, quando nobis sermo est de Mundo constituto, cælum Elementa & omnia corpora naturalia quæ in ambitu hoc mundano continentur: *forma*, quæ corporum naturalium coordinatio est; *sine*, qui est propter Deum & hominem, de quibus singulis in thesibus sequentibus nobis dispiciendum erit.

§. 5. Ex declaratis jam Definitionis Realis partibus, putamus neminem fugere, Mundi hujus causas esse quatuor, quas in proxima præcedenti thesi indigitavimus, quarum etiam mentionem in, subsequenter paucis injiciemus.

§. 6. *Efficiens causa mundi constitu-*

A 5

endi

endi non est Angelus aliquis nec ulla alia creatura, sed Deus solus, fabricator & creator rerum omnium, quod non tantum oracula divina ut illud Gen. 1. 1. *in principio creavit Deus calum & terram* &c. Verum etiam testimonia Philosophorum & rationes Physicæ manifestè confirmant.

§. 7. *Materialis causa mundi constituendi vel producendi* planè nulla fuit. Mundus enim ex nihilo est productus. Quod non tantum Sacra pagina Rom. 4. 18. 2. Cor. 4. 6. Sed etiam recta ratio & lumen naturæ quodammodo affirmare conatur. Nam notum est tria esse agentia, *Artem, naturam & Deum*. *Ars* quidem suæ operationis subjectum accipit à natura, & hæc à DEO, DEUS autem à nullo; Sicut enim recta ratio in causis efficientibus progressum in infinitum non admittit, ita neq; in materiali. Hinc colligimus hanc Mundi machinam creatam & productam esse è nihilo, juxta versiculum:

Materiam noli querere, nulla fuit.

§. 8. Materiam verò mundi constitui asserimus esse corpora naturalia, sensibilia & universa, non solum simplicia ut cælum & Elementa, sed etiam mixta, non solum inanimata sed etiam animata, & quæcunq; in rerum natura continentur.

§. 9. Formam mundi quod attinet, varias de ea opiniones, Philosophos vetustiores

res

res fovisse certum est: alij enim Deum; alij cælum, alij rotunditatem seu figuram Sphæricam; alij animam toti mundo universalem, ut Pythagoras & Plato. Alij item ordinem ut Aristoteles & ejus Asselæ formam mundie esse statuerunt.

§. 10. Quætor illas opiniones priores, nos tanquam inanes & supervacaneas rejicimus, nam existimamus unicuiq; liquere 1. *Deum* non esse formam mundi, quod tribus sequentibus rationibus probare conabimur. 1. Deus quippe est causa efficiens Mundi non verò forma, ille enim solus absq; alterius ope, in temporis principio liberrimè sua voluntate Mundum condidit, & etiamnum conservat & sustentat. 2. Est ens infinitum, quod finiti entis forma esse nequit. 3. Forma Mundi si quæ esset in materia, esse certum est; Deum autem ab omni materia esse solutum nulloq; termino descriptum, clarum & evidens est.

2. *Neq; Cælum* esse formam Mundi exindè patet, nam est pars ejus integralis & materia partialis, ideoq; forma informans esse nequit.

3. *Nec figuram Sphæricam* posse constitui formam Mundi constat exindè, quia est extrinsecum quid & Accidens Mundi.

4. *Neq; anima* per totum corpus diffusa potest esse Mundi forma, nam 1. Tum omnes

mnes res easdem esse indè sequeretur. 2. Quia non omnes Mundi partes sunt animatae ut certum est de caelo, stellis, elementis, meteoris &c. 3. Quia qualibet res (quibus Mundus variis constat) sive sint animatae sive inanimatae, propriam habent formam, id quod ex analogia historiae creationis, in qua entia naturalia dicuntur esse secundum speciem suam creata, haud obscure colligi potest. 4. Quia Mundus non est corpus organicum; quale animae definitio requirit. Denique 5. Mundus non edit operationes animales.

§. II. Formam igitur Mundi, cum rectè Philosophantibus, esse unicum illum admirabilem & perfectissimum ordinem, firmiter statuimus, quo res naturales inter se sapientissimè copulatae & distinctae sunt. Qui ordo non est substantialis mundi forma, sed Accidentalisis, quam mundus agnoscit, cum ipse sit unum per Accidens. Dicitur tamen à nonnullis hæc mundi forma essentialis, quia absq; ea, neq; est, neq; dici potest Mundus. Res enim omnes confuse & inordinate conceptae, tanquam rudera & collapsa domus, in uno acervo revoluta, potius chaos quam mundus dicerentur.

§. II. Notandum hic insuper venit, ordinem illum mirabilem omnium corporum, seu pulcherrimam dispositionem quam diximus esse mundi formam, consistere. 1. In admiranda

*miranda rerum naturalium varietate. 2. In aptissima superiorum & inferiorum collocatio-
ne. 3. In mira omnium proportione. 4. In arti-
ficiofa omnium compositione & pulchritudine.
5. In omnium sibi invicem ministrantium divi-
no ordine. 6. In sapientissima omnium guberna-
tione.* Vendel. Contempl. Phys. Sect. 2. c. 6.

§. 13. Finis Mundi duplex est, nimirum vel

1. Principalis seu primarius, qui toti competit mundo, & est ipse DEUS, ejusq; gloria. Est enim non tantum prima causa efficiens, sed & finis ultimus, summè bonus in quem omnia tendunt, à quo etiam omnia alia, quod bona sint, habent. Unde suae gloriae & bonitatis vestigia in toto hoc universo expressit, quibus homo ad glorificandum DEUM excitari potest. Juxta versum. *Prasentemq; refert, qualibet verba DEUM.*

2. Ultimium finem mundi constituti, dicimus esse hominem, omnia namq; in ejus usum facta sunt Gen. 1. 26. & seqq. imò ipsi etiam Angeli (cur non multò magis reliqua corpora) homini inservient Psal. 91. Heb. 1. Quod & eloquentiae parens Cicero in Somnio Scipionis fatetur, quando in hunc modum Africanum loquentem inducit; *homines, sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum quem in hoc templo mediū vides qui terra dicitur.* Et hoc elegantè probavit Scaliger Ex. 250. §. 1. qui inter alia ait: *propter*

pter hominem mundum esse factum & Arist.
2. Phys. cap. 2. t. 24. dicit, *hominem esse re-
rum omnium finem & Dominum.*

Momentum Tertium.

§. 1. Enodatâ & absolutâ sic definitio-
nis & causarum tractatione, Septem potissi-
mum affectiones Mundi seu adjuncta nobis
breviter consideranda & evolvenda veni-
unt, ut sunt, *unitas, finitudo, perfectio,
pulchritudo, figura, Situatio & temporis du-
ratio.*

§. 2. Nos, hac vice, omissis, *Epicuri,
Democriti & Hermodoti* opinionibus, qui
plures esse Mundos statuerant; Unicum nu-
mero esse mundum firmiter asserimus, id-
què ex sola scriptura S. apodicticè proba-
ri posse putamus, quæ. 1. Unius tantum
mundi mentionem facit. 2. Causam pri-
mam procreantem hominum fuisse unam
asserit: alias si plures essent mundi, ex plu-
ribus etiam hominibus genus humanum es-
set propagatum, at jam notum est, Deum ex
uno homine nimirum Adamo fecisse omne
genus humanum Act. 17. 26.

3. Verisimile est cum Deus unus sit, & mun-
dus visibilis, typus invisibilis Dei Rom. 1. 20.
etiam mundum unum esse; idè quoq; ocula-
tissimus & subtilissimus ille naturæ rimator
Scaliger Exerc. 6. l. 2. *Mundus* inquit, *unus
est, non unione forma informantis, sicut nec
unione*

*unione materia. Sed unione primi princi-
pij, efficientis & finis, propterea quod ab uno
ad unum omnia.*

§. 3. Secundam affectionem attribue-
bamus Mundo *finitudinem*, secundum quam
notum est, Mundum certos habere termi-
nos essentiæ & quantitatis, intra quos omnes
Mundi partes ita contextæ sunt, ut nullum in
eo detur vacuum.

§. 4. Perfectum item esse mundum sta-
tuimus, non quidem omnigenâ illâ perfectio-
ne seu *comparatè cum Deo, quâ omnia non
tantum sunt mutila & manca, sed etiam*
nihil ut habet Scaliger. Exerc. 140. Sed in
suo genere & quidem.

1. In *Quantitate*, quâ omnes ejus par-
tes tot sunt creatæ, & inter se contiguâ con-
nexionem ita copulatæ, ut nihil in iis vel re-
dundare, vel deficere videamus.

2. In *Formis*, ubi insignem aspicere li-
cet perfectionem, secundum quam, non so-
lum singulis Mundi partibus tantum virium
competere potest, quantum ad affectionem
sui finis requiritur; sed etiam eâ subordina-
tione in actionibus conjunguntur, ut mutuâ
ope sese invicem ad præfixum Scopum pro-
moveant.

3. In *Accidentibus*, & quidem vel *proximè*
ut facultatibus & proprietatibus, vel *remotè*
ut Accidentibus communibus, quæ tametsi
in

in singulis speciei individuis, singula quæ inesse possent, non actu ipso insunt, à tota tamen specie abesse nequeunt. Utrisque; verò, Mundo suam conciliari perfectionem in hoc, quod formis ad edendum naturales operationes, idonea & apta sint instrumenta.

4. In *Ordine*, quem in tam admiranda rerum diversitate elegantissimum deprehendimus; singula enim corpora simplicia pariter ac mixta, in suis Locis pro naturarum appetentia & capacitate, sapientissimè totius hujus universi creator collocavit.

§. 5. *Perfectio*, quam tertiam mundi affectionem fecim⁹, comitem sibi adjunctum habet pulchritudinem, quæ in omnibus ejus partibus, tam inferioribus quam superioribus conspicitur, mirabili modo creaturas intelligentes delectans, partim harmonia partium, ipsarumq; convenienti situ & magnitudine; partim ipsarum varietate & suavitate, cum lucis, tum coloris. Ideò Plato in *Timæo* ait: *Fas neq; erat, neq; est, quicquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus.*

§. 6. Tribuimus mundo figuram Sphæricam, quod Aristoteles innuit, nominans eum orbem, quod nomen non nisi à rotunditate est, ratio autem hujus figuræ est, quod mundus sit ens perfectissimura, ergò ei talis

est

est tribuenda figura, qualis est Sphærica, omnium scilicet perfectissima & capacissima, quia Mundus omnia corpora continet. Clarum insuper est, partes Mundi primarias & præcipue integrales utpotè, cælum, aquam, terram, vel ipsis attestantibus sensibus esse circulares & rotundas, jam scimus à partibus ad totum, argumentationem valere.

§. 7. *Situationem* Mundi novimus consistere in Sex positionum differentiis, quales sunt: *dextrum, sinistrum, ante, retro, sursum, deorsum*, de quibus Aristoteles l. 2. de cæl. c. 2. & hæc innotescunt partim in ipsa natura, ut *sursum & deorsum*, partim ex arbitrio humano, si rationem ortus Syderum observamus, ut reliquæ quatuor, juxta versiculos.

*Dextrum cæli oriens, ubi dormis Phæbe
sinistrum,*

*Ante dies medius, gelidus septentrio
retro,*

*Arcticus est infra, supraq; Antarcticus
extat*

§. 8. Postremam Mundi affectionem propriissimam, diximus esse; *temporis durationem*; nam scimus non fuisse Mundum ab æterno, sed in tempore à Deo creatum, tandem iterum ex imperscrutabili Dei voluntate ita interiturum esse, ut nihil corporum eorum quæ nunc existunt, futurum sit reliquum, exceptis corporibus hominum.

B

Momen-

Momentum Quartum.

Continens' Quæstiones nonnullas, doctrinam de Mundo concernentes.

Qv. 1. An Mundus à DEO productus fuerit ab æterno? an vero in tempore creatus? Neg. prius. Aff. post:

De hac Quæstione olim inter Philosophos præcos arduè satis fuisse disceptatum reperimus: quidam enim opinati sunt, Mundum quidem esse factum à Deo, sed ante infinita secula, non verò ex nihilo sed ex rudi quadam materia, in qua, sine ordine, omnia hujus Mundi Exordia latitaverint, eam verò materiam nunquam factam esse; sed semper extitisse: nunquam item Mundum interiturum ut Plato & Pythagoras existimarunt. Hic enim observandum Aristotelem & ejus sequaces, nonnullos Philosophos Ethnicos, S. Sacræ, Creationis, voluntatisq; divinæ merè ignaros, fultos rationibus Physicis, de materiæ primæ, generationis, motus temporis, motoris, motus circularis immutabilitate, asseruisse Mundum fuisse ab æterno & in æternum etiam duraturum: Verum saniores omnes Philosophi Christiani, hoc in puncto deserunt auctoritatem Aristotelis, Mundum aliquandò cre-

pisse

pisse & quidem in tempore & cum initio temporis conditum esse, arctè tenent, edocti partim ex Sacra Scripturâ, partim naturâ. Sacra enim Scriptura probat Mundum in tempore factum esse, & quidem 1. Historia creationis Gen. 1. docet, Mundum in principio creatum, ergò exindè firmissimè colligitur, Mundum habere principium, & per consequens non esse æternum, æternitas enim principii & finis expers est; Deus enim solus est æternus, ideoq; nihil ei est coæternum. 2. Si Mundus est factus in tempore ut historia creationis testatur, ergò non fuerat ab æterno, æternitas enim omnem dependentiam, originem & productionem excludit. Natura idem annuit, notum enim est, Mundum 1. Esse compositum ex materia & forma, si hoc ergò non fuerat ab æterno, & 2. si Mundus fuisset ab æterno, sequeretur hoc absurdum, dari videlicet duo æterna, duo prima, & sic nullum æternum, nullum primum esset.

Qv. 2. An DEUS liberè Mundum creaverit, an verò necessario? Aff. prius Neg. post.

Ut verò sensus hujus Quæstionis fiat clarior; dicimus & Respondemus DEUM in aliis ut liberrimum agens, ita etiam fuisse in Mundi productione, nullius necessitate coactum

B 2

coactum

coactum & impulsum, nec aliquo externo agente ductum vel prohibitum, sed pro suo beneplacito & voluntate, Mundum & omnia quæ in eo sunt creasse, juxta illud Eph. 1. Ubi *Deus dicitur omnia operari, secundum consilium voluntatis suæ.* Quinimò ipsum Aristotelem tribuere Deo intelligendi & volendi facultatem certum est, l. 7. Eth. c. 4. l. 1. Metaph. & l. 12. cap. 9. Est enim ens perfectissimum à nullo dependens, nullius indigum, sibi ipsi sufficiens & *αὐτὰυτὸς*, quam vocem pulchrè Scaligerum excogitasse videre est Ex. 365. s. 2. nam si Deus liber non esset, sequerentur multa absurda contra naturam & contra jus & debitum naturæ, imò contra ipsam religionem Deiq; cultum; ut quod non esset orandus, cum esset necessarium agens; nam stultum esset orare agentia necessaria, ut, Solem, lunam, ignem, vel aquam, quia flecti precibus non possent. Sic etiam nec timendus esset, nec reverendus, nec colendus, nec in eo spes aliqua collocanda, ut adjuvaret vel eriperet ex malo aut periculo.

Qv. 3. An Mundus sit tantum unus, An v. numero plures? Aff. prius Neg. post.

Hic præsciendum est de unitate Mundi numerica, varias olim exitisse Philosophorum sententias, quidam enim plures invexê-

re

re Mundos, finitostamen; ut Manichæi, quidam infinitos unius tamen generis, beneficio atomorum conflatos ut Democritus, Anaxarchus, Leucippus & Epicurus, quidam duos constituerunt sed diversi generis, ex verbis Gen. 1. *Deus condidit cælum & terram*, per *terram* intelligentes corporeum, visibilem, sensibilem, materialem & inferiorem mundum, per *cælum* verò incorporeum, invisibilem, mentalem, idealem & superiorem; quos ita conditos hodieq; comminiscuntur, ut idealis materialem involvat, ambiat & amplexu suo claudat; ut Marsilius ficinus cap. 9. Compend. in Timæum Platonis differit. Aristoteles verò Mundum re ipsa numero unum fatetur; hac ratione motus: omnia gravia deorsum, Levìa sursum tendunt naturalitè: Si plures essent Mundi, tunc omnia tumultu vario jactarentur, & terra alterius Mundi ad hujus Mundi centrum tanquam ad locum suum naturalem, & ignis alterius Mundi ad circumferentiam hujus Mundi moveretur, aut ignis & terra hujus Mundi ad centrum alterius Mundi tenderet. Sed hoc fieri non potest, quia terra ab uno Mundo ad alterum transferri volens, percurreret prius regionem ignis sui orbis, atq; ita grave in sublime ferretur, quod ejus naturæ repugnat. Ignis quoq; per medium unius orbis pertransiret,

B 3

qui

qui ad ignem alterius orbis, quo pacto leve tenderet deorsum, quod item est contra naturam. Nos autem omnium certissimam rationem, probandi Mundum esse unum numero, certo certius novimus illam manere, quam nobis historia in Genesi tradita à Mose suppeditat.

Qv. 4. Quonam Anni tempore Mundus sit creatus?

Manifestum est, Mundum esse creatum, jam acerrima disceptatio non tantum inter Philosophos & Chronologos, sed etiam inter Theologos oritur; quo anni tempore Mundus sit creatus, cum illud ipsum non indigiter creationis historia, nec Scriptura alibi expressè. Undè cum de illare, Authores ferè non nisi meris conjecturis agere potuerint, factum est, ut in scissas abiverint opiniones, propugnantes alii vernale, æstivale alii, alii autumnale tempus, de hyeme verò non controversantes. Nos hic nihil certi, in tanta sententiarum varietate, determinamus, nolentes nos in iis quæ Scriptura tacet, scrupulosè torquere; verum hanc quæstionem decidendam doctissimis viris relinquimus, cum Theologi & Philosophi celeberrimi in hac Quæstione decidenda non conveniant; & nos contentos reddimus Responstone ad hanc quæstionem,

magni & Excellentissimi Theologi, in Regia hac Academia Aboënsi, professoris Theologiae primarij, Admodum Reverendi & eminentis-

simi

simi Dn. [Doctoris Enovaldi Svenonij, qui in Synopsi sua Theologica in loc. de creat. pag. 32. scribit & dicit, rectè ad hanc quæstionem posse Responderi, Mundum nullo anni tempore esse conditum.

Qv. 5. An Mundus sit aliquandò interiturus? Aff

Quemadmodum notum est, Mundum intertempore cæpisse, ita eum aliquando interiturum esse, probant per plurima Scripturæ dicta. audim⁹ etiam indices circumferri omnia corpora naturalia, tanquam senio confecta, ad interitum declinare, terram viribus exhaustam, aquam impuriorem, aërem vaporibus infectum, Stirpium & hominum naturam debiliorem magis magisque quotidie fieri. Præterea etiam comperimur cæli & Elementorum vires annuatim langvescere, nec non multa signa & prodigia evenire, quæ certa sunt indicia annihilationis & destructionis Mundi. Mundum enim esse materialem, ideoque ratione materiæ, potentiâ passivâ gaudentem; mutationi & interitui obnoxium scimus; quomodo ergo corruptionem effugiet? addimus etiam quod Sacra Scriptura ubilibet innuit Mundum esse periturum, & quidem igne, ut extat 2. Pet. 3. qualis autem ille ignis futurus sit, ignorat humana ratio. Seneca tamen in consolatione ad Marciam circa calcem sic habet. *Et cum*

B 4

tempus

tempus advenerit, quo se Mundus renovaturus extingvat, viribus ista se suis cadent, & Sidera sideribus incurrent, & omni flagran- te materia, uno igne quicquid nunc ex dispo- sito lucet, ardebit. Nos quoq; felices animæ, & æterna sortita, cum DEO visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, & ipsi parva ruina ingentis accessio, in antiqua Elementa vertemur.

Qv. 6. An Mundus interiturus sit secundum substantiam, An vero etiam secundum qualitates seu Accidentia? Aff. utrumq;.

Nos in hujus Quæstionis declaratione, dicimus & asserimus, Mundum non tantum quoad qualitates seu Accidentia ut quidam opinantur, sed etiam quoad ipsam substan- tiam esse interiturum. Nam 1. Qualis Mundi ortus, talis etiam erit ejus interitus. Hinc Poëta: *& redit in nihilum, quod fuit ante nihil.* 2. Interitus proprie dictus, respicit substantiam; nam sicut generatio respicit substantiam, ita & corruptio. 3. Clarum est, Sacram Scripturam expresse asserere, cælum, terram, mare &c. Non amplius fore, sed abire, fugere & in totum annihilari ut Psal. 102. Job. 14. Luc. 21. Es. 51. 2. Pet. 3. Apoc. 20. & 21. & multis in aliis locis. Atq; hæc sunt, quæ hac vice, de præstantissima & ar- dua

dua hac materia, rudi penicillo, scribere volumus.

Sit pater ô rerum, tibi laus, tibi gloria soli. Omnipotens; sapiens & sine fine DEUS.

VIRO-JUVENI

*Eximîa eruditione & Praclara virtute
Politissimo,*

DN. ISRAELIDYNÆSIO, An-
germ. S. & R. Mtis. Stipendiario industrio
Philosophiæ Candidato meritissimo, amico
meo sincere dilecto; pro summo in Philos.
gradu ritè consequendo erudite
disputanti:

T*Hespiades summo descendunt vertice
Pindi,
Dynesio ut pandant nunc Heliconæ
Dæa.*

Felicem facilemq; ad gradum Magi-
sterij aditum gratulabar, affectu
quam verbis prolixior

JACOB. FLACHSENIUS,

A. R.

Mori-

Moribus ac literis Ornatissime Candidate,
ISRAEL DYNÆSI, amice
perdilecte.

Scientiam inflare docet Apostolus & probat quotidie noster visus. Temperanda igitur est illa virtutibus aliis nē exagitet suos possesores, sicut solet venenum vexare stomachum. Tu Dn. ISRAEL fide ac modestiā tuam didicisti temperare; semper enim ab eorum more abfuisi, quos elati spiritus per plateas ferunt sublimiores, quam ut totis pedibus terram attingant. Perge ergo istis tuis virtutibus vitam ducere, & erunt plures melioresq; qui te earum nomine admirabuntur, quam qui propter scientiam solam alios laudabunt; Vale.

Gratulabundus hacce scripsit.
Tuus

PETRUS Bång D. & Prof.

Viro

Viro Juveni Præstantissimo
Philosophiæ CANDIDATO laudatissimo.
DN. ISRAELI H. DYNÆSIO,
Amico meo perdilecto, pro summis in Philosophia honoribus, de mundo piē minus quam eruditē differenti.

Sunt Homines Mundi cives numero innumerandi

Ast quid sit Mundus, cogitat haud Decimus

En quantū Mundo concessum Nomen ab alto

Quibusvis lingvis! omnibus Ecce pater,
κόσμος & Holam, Mundus, Welt/ atq; Mail-
ma vocatur

Singula quæ multū nomina sane sonant
Hæc quoniam scripto, Dynæsi pandis honoris
Multus in hoc Mundo, quoq; sequetur
HONOS

Quem tibi felicem, sincera mente precatus,
Adprecor & semper, vive, valeq; Bene

L. Mq;:

ANDREAS PETRÆUS,
Phyl. Prof. Ord.

Literis moribusq; maximè conspicuo

VIRO-JUVENI,

DN. CANDIDATO ISRAELI DYNÆSIO, amice singulari

F. Q. P.

Non minori te ornatissime Dn. CANDIDATE, Academica hæc nostra so-

cietas cum primum eam salutare, excepit spe, quam nunc literarum virtutumque præsidio indeq; promerito honoritè instructū ad penates tuos remittit; tanta enim prudentia actiones tuas in gyrum egeras, ut primum nihil de profectibus tuis magis desiderari videbatur quam digno virtuti honor, deinde consecuto honore, illum ut optimè meritum compositis tuis moribus ampliorum reddebas. Gratulor igitur tibi hanc tuam felicitatem, voveoq; sit tibi avita illa gentis tuæ virtus, quæ ad magna asurgunt, perennis. Vale jam & prosperare.

Ut vovet tuus

SAMUEL GULDENSTÄLPE/
P. & H. P.

Nunc quidem ea de causa satis eris Laudandus DN. DYNÆSI, quod Dissertationis argumentum elegeris non vanum quoddam & inane, quale solent illi, qui in contemplatione terminorum omnem ingenii vim consumpserunt dudum; sed ejusmodi quod suavitate incredibili, honesta utilitate, & inenarrabili gratia intelligentis mentem implet ac perfundit. Sane hujus studii
gloriâ

gloriâ claruere olim per plures, hodie vero postquam mentem mortalium dirus habendi ardor infecit, postquam ambitionis æstus profundam cæcitatem induxit, postquam libidinum fax ambussit spirituum subtilia, non mirum si Divina hæc studia negligentur indies. Ego simpliciter id mihi persvadeo, post tractationem sacrarum literarum, studium jucundius vix dari eo, quod in contemplatione Mundi occupatur. Nam ipso ejus ornatu quid elegantius? figurâ quid pulchrius? motu quid constantius? ordine quid quæso Divinius? sunt in eo summa omnia, magnitudo molis vastissima, perfectissima absolutio, rerum deniq; diversissima diversitas. Gyra oculos, lustra & perambula singula curiosa mentis indagine, videbis in Cœlestis Atrii spatio innumerabilem fixarum stellarum copiam, justo ordine ambulantem per liquida ætheri spatii inania. His succedunt aliæ, per circulum Zodiaci euntes, nunc in septentrionem, modo in austrum, interdum conjunctæ apparent, iterum ingenti intervallo divisæ. Saturnus ejusq; comites duo, licet luce plumbea, morborum symbola tristi facie præfagiet, tamen in Mundi bonum maxima naturæ providentia ordinatus est. Jovis pellucidum Systema, ejusq; 4. satellites, luce fulgidissima undiquaq; resplendens, serenitatem cum salu-
bi

677
bri temperie dispensat. Mars ignea & rubi-
cundo fulgore minas spirat & flammam, hu-
morem colericum movet eumq; in Cœdes
adaptat. *Sol* cœlestium corporum Rex & vi-
tæ omnis Princeps, innumeros flammarum
globos eructando, totam sublunarem œco-
nomiam radiorum efficacia vegetat, rerum
semina spargit, separat, congregat, vivificat;
scilicet ingens illud ignium pelagus, inces-
sabili æstus vehementia dum concitatur, per
vastissimos interioris fabricæ meandros, vir-
tutes latentes ex centro ad circumferentiam
devolvit, & hinc eas per radiorum circum-
fusionem circumstitis Mundi corporibus
communicat. *Mercurius* aureo colore ra-
dians, mineralium & vegetabilium spiritus,
Animalium operationes, humanæ inventio-
nis industriam radiosa influentia disponit &
auget. Amabilis illa & fulgida *Venus* co-
lore quidem æneo sed blanda luce gratiæ &
decoris præfagit excellentiam. *Luna* opacis-
simum corpus ordinem claudit omnem, tan-
to violentior humorum domina, quanto
rectiori radio ferierit orbem terrarum. Hæc
illa superioris Mundi ornamenta illa Monar-
chæ Cœlestis dona illustria, illi evidentissi-
mi Divinæ potentiæ majestatis radij quorum
interior status, rotarum situs, globorum
compositio, centrorum officia, lucis & calo-
ris nidi, non possunt nunc exponi. Ipse ter-
renus

renus Globus quam affabre factus, quò
Schemate ipsa Europa in humanam figu-
ram concipitur diducta, cujus caput re-
fert Hispaniam, pectus Galliam, reliqua
Germaniam, brachiū dextrum Italiam,
sinistrum Angliam. Tota Affrica cor-
dis figuram imitatur quemadmodum
America Calicis, duo maria Caspium
& Euxinum oculorum instar jacent in-
terjecta, cætera ambit Oceanus. Sed
ipsa terra, proh fidem? quot montes fo-
vet, insulas & campos, perennia igni-
um incendia qui evomunt, alibi frigidissi-
mos caliginis carceres, & concameras
tas speluncas, & abyssos impenetrabiles
pandit, ipsa vero cultissima particula-
rium rerum facies, aquarum vires, con-
formatio animalium, & nunquam de-
cantata satis humanorum corporum pul-
chritudo, quæ est pulchritudinum omni-
um consummatio & perfectio, gratia-
rum omnium gratia eminentissima, &
virtutum omnium complementum ma-
ximum, omne ingenium, omnem elu-
dit eloquentiam humanam. Quare
Dn. Candidate delectum tanti argumen-
ti omnino laudo, nec dubito, quin post
necef-

necessaria studia, in hoc quoq; ponas
curarum requiem & sacram volupta-
tem. Quibus singulis felicem successum
adprecatur.

DANIEL ACHRELIUS,
A. A. S. & Phil. Adj.

Præst. Dn. DYNÆSI amice perdilecte!

Herculeas vires hoc nomine tibi assignatas
video, quod una cum ipso, in primo ata-
tis gradu constituto, viam voluptatis detre-
ctando, virtutis Ingressus es; hoc modo ob-
tinuisti ea quæ diu in votis recondita erant.
Ingenij tui dona Dn. DYNÆSI egregie ita
excoluisti, ut magnum olim in te præsidium
patria: Ornamentum familia: atq; Decus
Resp. literaria sit habitura. Me certe hæc &
plura alia, quæ lubens latere non patior, mo-
verunt: ut cum alia ratione meum in te af-
fectum testatum facere non possim: animi-
tus hos studiorum progressus tibi Gratulari
volui! Hoc meum facinus audax inter va-
ria avocamenta literis Concinnatum, boni
ut Consulas, solitaq; benevolentia complectar-
is, etiam atq; etiam rogo. Vale.

JONAS ANGELIUS
Phil. Cand.

Trina Te beet Salus Fratrum Svarviff:

DYNÆSI!

Quod ingenij fama promittit, lon-
gissimum ævum est. Brevi dilabun-
tur, quæ manuum ministerio extracta
sunt, opera. Quid enim immortale ma-
nus mortales fecerint? Aliud alio mo-
do ruinæ suæ imminet. Sola autem in-
genij facinora, sicuti anima ipsa, immor-
talia sunt postremò. Habent res cun-
ctæ, suas periodos, definitos circulos, fi-
xosq; limites, quos ultra non datur vel
stare vel procedere. Eat nunc aliquis
& signet pede Carthaginis Corinthiq;
cineres, pretiumq; laboris aliud referet
nullum, quàm irriti conatus turpem pœ-
nitentiam. Ad eò fluxa sunt, quæ cor-
poris naturam sequuntur, molimina o-
mnia: Solida vero & mansura, quæ a-
nimi. Cætera quæ per constructionem
lapidum & marmoreas moles, aut terres-
nos tumulos in magnam eductos altitu-
dinem, constant, non propagabunt lon-
gum diem, quippe & ipsa intereunt: In-
genij verò, quæ condideris, monumen-
ta, sempiterna sunt, & nec situm nec te
nebras

nebras metuventia. Quid est, quod Ca-
tonēs illos Tullios & Hortensios atq;
adeò universam Oratoriam Cohortem
à mortalitate vindicat, si non præclare
composita Eloquentiæ opera? Cur non
in tam longâ posteritate consenuit me-
moriam Aristotelis, Platonisq; nomen?
Nimirum quia id egerunt hi, & quot-
quot his similes non ventri se natos esse
noverunt ut meliore sui parte, tunc
cum esse desinerent, vivere inciperent:
propterea quoq; sacrosancta tantorum
virorum vigeat fama, donec fuerit ul-
lus literis honos, donec steterit, aut Lati-
næ linguæ potentia, aut Græcæ gratia.
Loquetur & olim Tuum nomen grata
posteritas. *Fratrum Integerrime.* Jucun-
da crede mihi, posteri erit Historia, tuas
novisse lucubrationes, Tuos labores,
Tua cum paupertate continua, sed glo-
riosa tamen prælia. Ipsa, quæ Te genuit
patria reducem Te, scio, exosculabitur,
sortem opimam, quâ sudores Tuos redi-
mat, exhibitura. Est hæc quorundam
Eloquentiæ sive laus, sive crimen quod
quæ parva sunt, approbet sæpè pro ma-
gnis,

gnis, rursus magna attenuet, & ad mi-
nima deducat; Ego autem quod resest
dico, Gnathonici moris ignarus. *Amas*
sti semper, *O Candida mens*, ea studia, quæ
optimè felicitatem extollunt & calamita-
tatem minuunt, quæq; & ornamenta ho-
minum maxima sunt & solatia, Rectè:
Fruiere & nunc, oleo atq; operâ quod quæ-
situm ivisti otio. Est hoc publicum
eruditionis Tuæ Testimonium agris in-
vidiâ Luminibus pestilentissima sudes.
Nostri verò amoris hoc quicquid est
scriptionis perpetuum & ad quævis ma-
lignantium convitia invictum atq; in-
delebile extare volui documentum,
qui nunc, & donec hæc me tellus hos-
pitem alit, simplicitatem Tui in Te pe-
ctoris admiror & amo vehementius,
Vale!

JOHANNES COLLIANDER
Wex. Alumn. Regius.

Dum superas vertit vultum mis-
crocosmus in auras,
C 2 Cale

Cælestemq; oculis lustrare sequa-
cibus orbem,
Incipit inde mare & vastam cum
pondere terram.
Inspicient tandem gnavus specta-
tor ovabit.
Hæc vigili patriota, eadem quia
colligis arte,
Collaudo studium: Cursum Deus
inde secundet,
Fortunetq;, rogo, divini flami-
nis aurâ!

*Debiti amoris & honoris
ergo scripsit*

NICOLAUS NORDINUS
Angermannus.

Vastum, quo capimur, Mundum,
Patriota Dynasti,

Hocce

*Hocce tuo solers discursu pingis acuto.
Ergo posse probas te in Mundo vive-
re rectè,*

*Mundum quod meditère pie, quem cer-
nis amœnum.*

*Gratulor inde tibi mentis Conamina
pulchra:*

*Exoptans, cursum felicem det tibi
Christus!*

*Et fausto laurum, quâ dignus, sidere
portes!*

*Deniq; Ex voto cedant tibi prospera
cuncta!*

*Paucula ista sinceri amoris
ergo apposuit*

NICOLAUS L. FORZELIUS
W. Bochn.

Plau-

PLaudite voce piâ parnassi ex
vertice, Musæ,
Laurum & ferte sacram! Ve-
ster Alumnus adest.

DYNÆSI ferto frondenti cingite
frontem!

Quod meruit pietas eius & al-
ma fides.

Nam quod adest specimen gna-
vo sudore paratum,
Talia ferto virum hunc fat me-
ruisse probat.

*amica gratulationis
ergo scribebat*

JOHANNES HEDBERGIUS
Westmannus.

Qui Clavis cupiunt verè luctarier
arvis,
Gna-

Gnaviter Aoniisq; animum perfunde-
re lymphis,

Semper eos magni meritò comitantur
honores.

Sic pergis quoniam, Studiis exculte
DYNÆSI,

Docte de vasto Terra cum differis
orbe,

Te quoq; summus bonos ample laudes-
que manebunt.

Quod vovet ex animo mea quamvis
arida Musa!

Præstantissimo Domi-
no CANDIDATO,
quondam Præce-
ptori Doctissimo,
nunc verò fautori
certissimo sic gra-
tulatur.

DAVID Gund.